

POENITENTIA SACRAMENTALIS.

1. Tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ confistit in satisfactione temporali, quam Deo exhibet pœnitens ex præscripto confessarii ad expiandas pœnas temporales, quæ remanent post remissam culpam & condonatum pœnam æternam, cui per peccatum mortale obnoxium se fecerat.

2. Pœnitentia Sacramentalis definiri potest, quod sit castigatio peccati infligita a sacerdote ad resarciendam injuriam, quæ Deo per peccatum fuit illata; vel cum Polmano, quod sit voluntaria pœnæ a confessario injunctæ tolerantio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, & ad redimendam graviolem pœnam promeritam. Dicitur voluntaria; quia acceptatio pœnitentiæ ex parte pœnitentis absolute est necessaria ad effectum Sacramenti obtinendum; sicut ad hoc ut sit sacramentalis, necesse est, ut injungatur a confessario habente potestatem ligandi atque solvendi, quod conformiter ad doctrinam Patrum docuit Concilium Tridentinum Sess. 14. de pœnit. c. 8. Additur, ad redimendam graviolem pœnam promeritam; sicut enim peccatoris pœnitentis intentio esse debet in semet ipso ulciscendi injuriam per peccatum Deo illatam, sic etiam injunctam sibi pœnitentiam respicere debet ut medium quoddam a Deo sibi concessum, quo graviolem, quam commertus est, pœnam, exigua ac leviori pœna sibi injuncta redimere valeat. Incumbit quoque pœnitenti, ut eam acceptet atque adimpleat: si enim eam peragendi animum non haberet, Sacramentum foret imperfectum; quia injuncta pœnitentia partem ejusdem constituit integram, ut loquuntur Theologi.

3. Juxta Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8. quilibet confessarius strictissimam habet obligationem imponendi pœnitentibus absolvendis pœnitentiam congruam, & quantum fieri potest, proportionatam gravitati ac numero peccatorum, de quibus se accusarunt.

4. Verum equidem est, nostra hac ætate non amplius in usu esse severitatem illam Canonum pœnitentialium, qui primis Ecclesiæ sæculis, ubi fervor pœnitentium omnibus summæ ædificationi erat, exactissime observabantur; necesse tamen est, ut confessarius antiquos hos Canones memoria suæ impressos habeat; & licet prudentia ac discretio non permittat, ut præsentis tempore, ubi fervor pœnitentium nimium quantum refriguit, eos in praxi sequatur; ipsis

plurimum tamen conducet ad conversionem peccatorum, si ipsis quandoque ob oculos ponatur rigor hic antiquitatis, quo Ecclesia in graviora quædam peccata animadvertit. Discent exinde peccatores enormitatem peccatorum suorum, fervor contritionis ac propositi magis inflammabitur, promptiusque sese subilcent levioribus pœnitentiis, quas ipsis injungendas judicabit confessarius. Et id est; quod advertit S. Carolus Borromæus Act. Eccl. Mediol. p. 4.

5. Pœnitens tenetur non tantum acceptare, sed etiam implere, quamprimum potest, impositam sibi pœnitentiam, & quidem, quantum possibile fuerit, in statu gratiæ. Qui adhuc retinet affectum ad quoddam peccatum mortale, sinceram non habet voluntatem ineundi veram cum Deo reconciliationem, ipsiusque justitiam placandi, ac consequenter nec injunctam pœnitentiam condigne & cum fructu persolvendi.

6. Dantur confessarii cæteroquin satis docti, qui peccant contra regulas prudentiæ, passim absque distinctione personarum pœnitentias injungendo quinque vel sex diversis articulis comprehensas; unde fit, ut memoria quarundam personarum aliunde jam sat hebes nimium oneretur & obruatur, eorumque, quæ ipsis fuere injuncta, bona pars oblivioni detur. Id genus pœnitentiæ dictatoriæ sunt v. g. bis recita rosarium, ter litanias de omnibus Sanctis, quater Nominis Jesu, & quinquies de B. Virgine, per octiduum elicias actus virtutum theologiarum, semel jejunies &c. Semper cavendum, ne pœnitentiæ injunctæ pœnitentibus facile memoria excidant. Confessarius in iis injungendis attente ponderet effectum, quem producere debent, nempe ut sint vindicativæ pro præterito, & præservativæ pro futuro; nec perpetuo eadem fere pœnitentiæ quibusvis personis absque discrimine imponendæ sunt, id quod multi ex confessariis, sed non bene, faciunt.

7. Hujusmodi indiscretæ pœnitentiæ, licet quidpiam conferant ad expiandam partem pœnæ peccato debitæ, inutiles tamen sunt ad præcavendum relapsum; imo animabus segnioribus ac tepidis occasio potius sunt perseverandi in habitu peccandi, cum videant, se levi negotio semper consequuturas absolutionem ab iisdem peccatis, & quidem injunctis levissimis pœnitentiis.

8. Quod autem adhuc pejus, magisque averlandum est, imponuntur ejusmodi levissimæ pœnitentiæ etiam iis, qui se de peccato mortali accusant: si enim verum est, prout verissimum est, quod confessarius absolvens pœnitentiam

tem a peccatis suis personam iudicis sustineat, revera assimilatur iudici illi iniquo, qui ex malitia vel inscitia propria auctoritate remittit debitori maximam partem summæ creditoris suo debitæ; talis quippe confessarius tanquam dispensator gratiæ, non dominus, eodem modo condonat peccatori potissimam partem pœnæ, quæ divinæ iustitiæ exsolvenda foret.

CASUS I. Philometor confessus est paschali tempore; parochus pro pœnitentia ipsi imposuit jejunium quatrduanum. Peccavitne mortaliter pœnitens non adimplendo hanc pœnitentiam?

R. Talis ommissio, si est voluntaria, & rationabili causa destituta, est mortaliter peccaminosa; præsertim quando pœnitentia est notabilis, sicut in casu proposito, fuitque iuncta pro peccatis mortalibus. Quin imo censeo, fore peccatum mortale, si fuisset iuncta pro venialibus, attamen talibus, quæ ex sua natura valde disponunt ad peccatum mortale, vel prolabendi in mortalia periculo exponunt. Similiter ommissio esset mortalis, licet pro minimis etiam venialibus fuisset imposita pœnitentia, si simul accederet contemptus voluntarius & formalis. Interim tamen putamus, ommissionem pœnitentiæ pro venialibus, quæ non disponunt ad mortale, nec exponunt periculo peccati mortalis, non esse mortalem, licet sit peccatum satis grave. Diximus autem, quando ommissio est voluntaria, & rationabili causa destituta: secus enim foret peccatum tantum veniale; imo in certis casibus posset excusari ab omni prorsus peccato, veluti si pœnitens absque ulla sua negligentia ex mera oblivione totam pœnitentiam omisisset, vel fuisset in impossibilitate physica aut morali eandem adimplendi. Observandum hic, quod confessarius, si deprehendat, pœnitentem ex supina pigritia omisisse pœnitentiam pro peccatis impositam, debeat, regulariter loquendo, ipsum dimittere non audita peccatorum illius confessione, atque de novo præcipere pœnitentiæ executionem, saltem ex parte, si possibile fuerit, qua expleta, nec prius, integrum ipsi sit reverti ad confessionem. Rationem Cabassutius Jur. can. theor. & prax. L. 3. c. 24. n. 5. allegat hanc; quia ejusmodi negligentia, maxime jam sæpius observata, evidens argumentum suppeditat, vel saltem violentam præsumptionem, quod ejusmodi pœnitens non sit dispositus ad confessionem, & insuper imponendam modo pœnitentiam eadem levitate ac facilitate neglecturus sit, qua neglexit antecedentem. Pontas.

CASUS II. Irenæus accusavit se de quindecim vel viginti peccatis mortalibus; confessarius autem non aliam ipsi injunxit pœnitentiam, quam ut per octiduum quotidie recitet quinque *Pater & Ave*. Irenæus agnoscit pœnitentiam hanc esse nimis levem; interrogat ergo, an teneatur in conscientia sibi imperare graviolem, gravitati & numero suorum peccatorum magis proportionatam.

R. Satisfactio est actus iustitiæ; oportet ergo, ut sit quædam proportio inter offensam, & pœnitentiam injungendam. Ita sentit D. THOMAS in 4. Sentent. dist. 15. q. 1. art. 1. q. 2. in corp. Væ confessariis, qui indiscrete tam leves pœnitentias imponunt illis qui plurium gravium peccatorum rei sunt, possentque exequi severiores. Grandia peccata grandem quoque exigunt satisfactionem, neque ignavia vel ignorantia confessarii potest circa hoc excusare pœnitentem. Adeoque Irenæus, si vult evitare pœnas suis peccatis debitas, obligatur coram Deo supplere levitatem suæ pœnitentiæ per alia opera satisfactoria, aliquo modo proportionata enormitati & multitudini suorum criminum. Vide S. Augustin. serm. 351. in fin. alias Homil. ult. inter 50. num. 10. Confessarius injuncturus congruam pœnitentiam debet attendere ad ætatem, sexum, qualitatem, facultates, vires, aliasque circumstantias pœnitentis; debet considerare, pœnitentiam debere esse talem, ut per eam non tantum puniantur peccata præterita, sed ut præservet etiam a relapsu. Tandem, generaliter loquendo, congrua pœnitentia debet consistere in operibus, quæ sint contraria peccatis, de quibus se accusavit pœnitens, uti docet S. Carolus Borromæus 4. part. de Instruct. Confessar. Pontas.

CASUS III. Verano presbytero in confessione pro pœnitentia fuit imperatum, ut recitet horas Canonicas. Satisfacitne huic præcepto Sacramentalis pœnitentiæ recitando horas cum socio, sicut revera satisfaceret quotidianum pensum Breviarii persolvendo?

R. Verum est, quod satisfiat obligationi horarum Canonicarum recitando easdem cum socio: hæc enim est praxis antiqua & universalis Ecclesiæ. Sed videtur, quod praxis hæc non possit habere locum, quando horæ Canonice fuerunt iunctæ pro pœnitentia: tunc enim recitans gerit personam rei, qui orat pro semetipso privato nomine, & oratione sua pro seipso tantum iustitiæ divinæ satisfacit, & neutiquam nomine Ecclesiæ. Et aliunde etiam minus laboraret recitando cum socio; non est autem præsumendum, quod confessarius intenderit ipsum sublevare aliqua

qua parte imperati laboris ac conatus. Adeoque Veranus horas Canonicas tenetur recitare solus. *Pontas.*

CASUS IV. Onuphrius presbyter audivit confessionem Nicasii accuſantis se, quod non persolverit poenitentiam in ultima confessione sibi injunctam, licet justam, competentem, & gravitati suorum peccatorum proportionatam, ac proin rogantis, ut in aliam commutetur, quam fideliter & absque dilatione executurum se spondet. Potestne Onuphrius mutare hanc Nicasii poenitentiam?

R. Sacerdos hic debet meminisse, quod juxta *tridentinum sess. 14. de Reformat. cap. 5.* Sacerdos non possit in tribunali poenitentiae exercere suum judicium sine praevia cognitione causae, simulque teneatur observare aequitatem in poenitentis imponendis; oportet ergo, ut Onuphrius saltem in genere sciat peccata, propter quae poenitentia illa injuncta fuit. Debet deinde ponderare rationes, a Nicasio pro mutatione allegatas: si rationes haec fuerint justae, simulque persuasus sit confessarius, novam poenitentiam magis profuturam poenitenti, poterit injungere aliam, proportionatam tamen peccatis, propter quae prima poenitentia fuit injuncta. Ita docet S. Raymundus in *Summ. L. 3. Tit. 34. §. 66.* ubi ait: *Ad illud quod quaerebatur, scilicet utrum sacerdotes possint facere commutationes poenitentiarum, vel alterius satisfactionis ad petitiones ipsorum poenitentium, credo breviter, quod sic, dum tamen discrete, & propter causam, & circa subditos suos, alias non.* *Pontas.*

CASUS V. Sedullius confessione apud suum parochum deposita, acceptavit pro poenitentia jejunium singulis feriis sextis per sex menses continuandum. Interim vero uno mense elapso ex morbo decumbit, cumque ad ipsum invifendum venisset parochus, rogat Sedullius; ut priorem poenitentiam sibi mutet in eleemosynam 20. crucigerorum hebdomadatim in pauperes erogandorum. Poteratne parochus hanc mutationem facere extra tribunal poenitentiae?

R. Videtur parochum non potuisse sic procedere salvae pastoralis officii obligationibus; si enim habuisset legitimam causam in hanc mutationem consentiendi, potuisset & debuisset hoc facere audiendo de novo confessionem Sedullii; saltem haec est praxis tutior, & doctissimorum ac timoratorum confessoriorum exemplis firmata. Injungere poenitentiam, vel commutare jam injunctam est actus jurisdictionis interioris Sacramenti poenitentiae, quem sacerdos nullibi nisi in ipso tribunali poenitentiae exercere potest. *Ufus & praxis communis Ecclesiae, inquit Caballutius L. 3.*

c. 14.

c. 14. n. 2. *confessariis potestatem impertit, justa interveniente causa, satisfactionem a se vel ab alio impositam diminuendi vel commutandi; quia plerumque id expedit animarum saluti, pro quibus hoc Sacramentum fuit institutum: non tamen id fieri potest extra Sacramentum, cujus est pars debita, utpote jurisdictionis clavium, quae non nisi in Sacramento exercetur.* *Pontas.*

CASUS VI. Juliae dispensatae in voto simplici virginittis vel Religionis in confessione Sacramentali fuit injunctum pro poenitentia in executionem Brevis Apostolici, ut quotidie, quoad vixerit, recitet Officium parvum B. Virginis sub poena peccati mortalis, licet de hoc nullam Breve Pontificium mentionem fecerit. Potestne sibi apud alium confessarium procurare commutationem hujus poenitentiae?

R. Juxta *S. Beuve tom. 3. cas. 28.* Poenitentia haec non est pura puta poenitentia Sacramentalis, sed est commutatio voti facta a confessario vi potestatis eidem qua delegato Pontificis concessa; adeoque Julia non potest liberari ab onere hujus poenitentiae nisi auctoritate Apostolica. *Aliud videtur dicendum, inquit Navarrus Lib. 5. concil. 25. n. 2. de poenitentia imposita a Superiore pro absolutione a peccato reservato; & aliud de onere imposito a Superiore per viam commutationis vel dispensationis voti.* *Pontas.*

CASUS VII. Eusebio imperavit confessarius, ut in satisfactionem peccatorum per integrum annum singulis feriis sextis dicat quinquies *Pater & Ave*; verum Eusebius judicans poenitentiam hanc esse nimis levem, nec inveniens ulterius hunc confessarium, putavit seipsum posse immutare hanc poenitentiam. Igitur praescribit sibi met jejunia, quae religiose observat, psalmosque poenitentiales praedictis diebus per integrum annum recitat. Estne solutus coram Deo ab onere poenitentiae sibi a confessario praecipuae?

R. Commutatio haec, licet facta in opera magis ardua, non liberat ipsum a poenitentia in confessione imposita: nihil quippe propria sua auctoritate potuit immutare, cum indispensabiliter teneatur implere poenitentiam sui confessarii. *Nec in causa sua potest quis esse Judex, ait Glossa.* *Pontas.*

CASUS VIII. Rollandus Diaconus & Beneficiatus in Festo S. Joannis Evangelistae & circumcilionis Domini omisit recitare suum Breviarium. Ut ergo imposterum reddatur exactior, ejusque negligentia magis puniatur, debetne confessarius ipsi praecipere, ut praeter officium eo die, quo

Dist. Cas. Conf. tom. 111.

11

son.

confessus est, occurrens, duo etiam illa omissa officia recitet?

¶ In recitatione officii divini servandus est ordo prescriptus, & consuetudo Ecclesie, quae jubet, ut pro diversitate temporum & locorum diversa quoque sint Officia; *Non videtur esse injungendum ei*, inquit S. Thomas Quodl. 3. q. 13. art. 29. *qui omisit dicere divinum Officium, quod horas easdem repetat; sed aliquid ad divinam laudem pertinens, puta, ut dicat septem psalmos, vel unum psalterium, vel aliquid amplius, secundum quantitatem delicti.* Adeoque a confessario praefata poenitentia non est injungenda Rollando. *Pontas.*

CASUS IX. Æmilianus presbyter audita confessione Quintini, cujus vita erat depravatissima, & nimis scandalosa per continuum decennium, pro poenitentia ipsi injunxit; ut ingrediatur ordinem religiosum; quam poenitentiam cum summa animi repugnantia acceptavit Quintinus. Potuitne confessarius talem injungere poenitentiam?

¶ S. Thomas in 4. dist. 10. in exposit. textus observat, quosdam antiquos Canones mentionem facere talis poenitentiae, ex quo videtur auctoritatem aliquam habere. Interim tamen subjungit S. Doctor, Canones illos esse potius intelligendos de Consilio quam de praeecepto; cumque ingressus Religionis debeat esse voluntarius, confessarius eundem nunquam debet injungere poenitentibus a tali statu ac poenitentia abhorrentibus. Ex quo sequitur, quod, cum Quintinus non nisi summe invitus hanc poenitentiam acceptaverit, & ex sola persuasione, quod exactam in hoc confessario suo teneatur praestare obedientiam, Æmilianus nec debuerit nec potuerit istam praescribere poenitentiam. Quod attinet antiquos Canones a D. Thoma allegatos, ii solum intelligendi sunt de poenitentiis eo tempore in foro externo quandoque impositis juxta disciplinam Ecclesiae in punitione quorundam peccatorum observatam, sed haud amplius usitatam. *Pontas.*

CASUS X. Thyrsus pro confessione Sacramentali in peccatorum suorum satisfactionem fuit injunctum, ut quotidie per mensem dicat Litanias de Nomine JESU, B. Virgine, & de omnibus Sanctis; sed reputans se peccatorum maximum & indignum, qui a Deo exaudiatur, rogavit quemdam Religiosum opinione sanctitatis celebrem, ut pro se ac suo nomine poenitentiam hanc exequatur. Estne liberatus ab onere impositae sibi poenitentiae per acceptationem & adimplerem hujus Religiosi?

¶ Obligatio satisfactionis Sacramentalis est stricte personalis, sicut obligationes aliorum actuum poenitentis, uti Tridentinum docet *Sess. 24. cap. 3.* & ideo Thyrsus non est liberatus ab injuncta sibi satisfactione; & si confessarius consentiret, ut per alium ipsam expleret, teneretur injungere aliud opus satisfactorium ab ipso poenitente implendum. *Si quando ex justa causa*, ait Caballutius L. 3. c. 14. n. 3. *permittat confessarius, ut injuncta satisfactio possit ab alio praestari, aliquam tamen partem, quae possit a poenitente praestari, debet eidem in propria implenda persona praescribere, ne sit mutilum aliqua sui parte Sacramentum.* *Pontas.*

CASUS XI. Emporius Sacerdoti poenitenti suo nullam aliam imposuit poenitentiam, quam ut in satisfactionem suorum peccatorum Deo offerat Officium divinum, quod illo ipso confessionis die tenebatur recitare. Sufficitne talis poenitentia?

¶ Sunt, qui tuentur, poenitentiam hanc sufficere; alii vero quod non. Posterior haec opinio est sentior in praxi, & verior, ac proin in hac materia necessario tenenda. Et revera non potest dici poenitentia satisfactoria opus, ad quod jam aliunde generali lege Ecclesiae indispensabiliter obligamur. *Pontas.*

CASUS XII. Alanus confessarius Antonio suo poenitenti id solum pro poenitentia injunxit, ut patienter ferat, Deoque in expiationem suorum peccatorum offerat magnas afflictiones, quae ipsi haud ita pridem acciderunt, vel acerbissimos dolores, quibus cruciatur. Estne talis poenitentia habenda pro satisfactione legitima respectu hominis, qui non commisit peccata supra modum gravia?

¶ Juxta S. Thomam in 4. dist. 51. q. 1. art. 4. quaest. unc. 2. C. haec poenitentia potest haberi pro legitima: licet enim mala a Deo nobis immissa, absolute loquendo, non sint in potestate nostra, sunt tamen eatenus in nostra potestate, quatenus possumus per auxilium gratiae eadem acceptare in satisfactionem peccatorum nostrorum, atque hoc animo Deo offerre. *Si flagella*, ait S. Doctor, *quae pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter.* Et ad 1. *Quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt; cum scilicet eis patienter utimur: Et sic homo facit de necessitate virtutem. Unde Et meritoria Et satisfactoria esse possunt.* *Pontas.*

Nota. Videtur oppositum esse tenendum; quia non potest injungi opus jam aliunde lege naturali vel divina præceptum, quale est patientia in adversis. Dein, etsi ejusmodi mala cum plena resignatione in voluntatem divinam tolerata merito satisfactionis habeant, non habent tamen rationem satisfactionis sacramentalis.

CASUS XIII. Hannibali in confessione fuit injunctum, ut per tres menses singulis Dominicis, festisque diebus dicit psalmos poenitentiales; quam quidem poenitentiam fideliter executus est, sed sub missæ sacrificio, ad quod audiendum ex præcepto tenebatur. Satisfecitne suæ poenitentiae coram Deo?

ꝑ. Sylvius in suppl. 3. partis Summ. D. Thomæ q. 15. art. 1. quæst. unic. conclus. 1. existimat, Hannibalem vere satisfecisse injunctæ poenitentiae. Ratio ipsius est; quia ad Deum precari vocaliter & interesse sacrificio missæ non sunt duo incompatibilia; imo oratio perfecte convenit aum sacro missæ officio, ubi & sacerdos celebrans, & fideles eidem assistentes continuam peragunt orationem. Addit Sylvius, quod, sicut satisficit obligationi recitandi Horas canonicas, dum eæ recitantur sub missa, quam quis ex præcepto tenetur audire; sic etiam satisficit injunctæ poenitentiae, quæ in precibus consistit. *Satisficit*, inquit, *qui audiens missam ex præcepto legit Horas canonicas, aut explet suam poenitentiam.* Nihilominus magis convenire, & pro conscientia securius esse videtur, si alio tempore sacramentalis poenitentia peragatur. *Pontas.*

CASUS XIV. Uranius confessus est peccata sua haud adeo gravia, & confessarius ipsi injunxit poenitentiam valde rigorosam & diuturnam. Potestne tuta conscientia ab ea acceptanda se excusare?

ꝑ. Salva conscientia non potest Uranius recusare poenitentiam matura, ut supponendum, confessarii deliberatione sibi impositam. Non pertinet ad poenitentem de semet ipso iudicium ferre; iudex ipsius est confessarius, & talis quidem iudex, qui non debet ipsi esse suspectus. *Poenitens*, ait S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. *cui major condigno poenitentia injuncta est, tenetur eam explere ex sacerdotis injunctioe, qui non solum debitum poenitentiae considerat, sed peccato remedium adhibet.* Estius, Maldonatus, Sylvius, aliique præclarissimi Theologi idem sentiunt, fundantque opinionem suam in potestate ligandi ac solvendi a Christo sacerdotibus concessa. Nihilominus tamen non est dissimulandum, quod poenitens ea, qua decet, reverentia possit monere confessarium de enim rigore aut diuturnitate injunctæ poeni-

poenitentiae, vel de difficultatibus in ejusdem executione occurrentibus. Quod si omnibus his non obstantibus confessarius in sua persistat sententia, poenitenti humiliter acquiescendum est. *Pontas.*

CASUS XV. Marianus tempore paschali confessus est peccatum fornicationis semel a se commissum, & injuncta competenti poenitentia fuit absolutus. Post sex menses denuo confessus idem peccatum cum alia persona perpetratum iterum & sub eadem poenitentia absolvitur. Num bene egit confessarius hac secunda vice?

ꝑ. Confessarius secunda vice non debuisset absolvere Marianum sine gravi ratione, sed illi differre absolutionem, experturus hac dilatione, an sincerus sit dolor ipsius. Dein supposito etiam, quod sufficiens motivum habuerit ipsi absolutionem impertiendi, gravior tamen poenitentia ipsi fuisset injungenda: licet enim duo hæc peccata sint ejusdem speciei, certum tamen est, secundum peccatum coram Deo primo fuisse gravius propter relapsum. Hinc confessarius non satisfecit obligationi suæ. *Pontas.*

Nota. Hæc dilatio absolutionis, solum ex motivo tentandi sinceritatem doloris, est Quesnellistis propria, ac proin non multum attendenda. Aliud dicendum foret, si poenitens non expleset poenitentias injunctas, remedia præscripta non applicasset, aut non vitasset occasiones proximas a confessario interditas.

CASUS XVI. Adrianus expositis in confessione pluribus peccatis mortalibus acceptavit quidem impositam sibi poenitentiam; eam tamen non nisi post relapsum in aliud peccatum mortale persolvit. Teneturne repetere suam poenitentiam?

ꝑ. Potest quis in peccato esse constitutus triplici modo, scilicet vel actu, vel affectu, vel habitu, seu reatu. Et materia, ut scholæ loquuntur. Dicitur quis esse actu in peccato, dum illud actu committit; affectu, dum illud in corde movet; & reatu, quando dispositus quidem est ad conversionem, necdum tamen peccati remissionem obtinuit. His suppositis, si Adrianus fuit in peccato actu vel habitu seu affectu eo tempore, quo adimplevit suam poenitentiam, tenetur illam repetere. Ratio est 1. quia poenitentia nunquam potest esse vera, quando neglecto præterita peccata expian- di studio nova actualiter committuntur, vel affectus ad commissam conservatur, vel remanet dispositio aut habitus proxima occasione alia committendi. *Inanis est poenitentia*, inquit S. Augustinus Can. *Inanis.* 12. de Poenit. dist. 3. *quam sequens*

quens culpa coinquinat. 2. Quia possibile non est, quod quis in hoc statu sincerum habeat desiderium divinæ justitiæ satisfaciendi; quod tamen ad veram poenitentiam absolute necessarium est. 3. Quia, ut ait S. Thomas Supplem. q. 14. art. 1. *Non potest fieri satisfactio, nisi per opus Deo acceptum; ergo non potest, qui habet aliquod peccatum, Deo satisfacere.* Si autem Adrianus, antequam injunctam poenitentiam persolveret, sincerum concepit dolorem de peccato commisso, ita ut vere dispositus sit ad conversionem & vitæ emendationem, non tenetur reiterare impositam poenitentiam. Pontas.

CASUS XVII. Potestne confessarius, quin desit obligationibus officii sui, poenitentiam tantum secretam, rigorosam tamen, injungere peccatori, qui complura peccata publica & scandalosa confessus est; eo quod Ecclesia de antiquo suo rigore circa poenitentias plurimum remiserit?

3. Cum Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 8. de reform. antiquam disciplinam vigori suo restituere intenderit, non potest simplex confessarius privata sua autoritate peccatores publicos & scandalosos eximere a poenitentia publica: solum Episcopo potestas hæc competit. *Apostolus monet, inquit Concilium, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisset, non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ poenitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo ad rectam revocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocavit.* Interim tamen, licet confessarius teneatur imponere pro peccato publico poenitentiam publicam, consuli debet Episcopus, qui docebit, an in hoc vel illo particulari casu consultum sit ejusmodi dictare poenitentiam. Pontas.

NOTA. Obligatio injungendi in confessionali poenitentiam publicam cessare potest, quando scandalum ex peccato publico ortum sincerius emendatur per vindictam publicam tribunalium, ut fit nostra Bavaria. Si vero iudex esset negligens in castigandis publicis sceleribus, nec superesset aliud remedium, v. g. denuntiatio suis iudicis ad suum Superiorem, tunc foret recurrendum ad Episcopum pro distanda poenitentia publica; immo si Episcopus lentus id in se recipere, ut pro criminibus publicis præmissa commotione causæ simul imponant poenam ecclesiasticam, jure id competere, neque possent a quopiam citra injustitiam prohiberi, cum quia labor iste foret immensus, & occasio perpetuorum fidiorum cum iudicibus & Dominis territorialibus, experientia cuit, hoc remedium poenitiæ publicæ non nisi in casu rarissimo usurpari posse, saltem in Germania. Vetus disciplina, vi Episcopi antiquitus publica celebrabant judicia circa fidelium

fas, jam est antiquata, causæque ejusmodi plerumque fuerunt translatae ad tribunalia sæcularia. Nihilominus potest ac debet confessarius pro peccatis publicis imponere opera ædificatoria, & publici scandali palam reparatoria, ut sunt hebdomadaria aut saltem menstrua communio, visitationes ecclesiarum, modestia in vestitu, frugalitas in cibo & potu, sublevamen pauperum per elemosynas, abstinencia a popinis ac vanis oblationibus publicis, fuga occasionis ac periculi etiam propinqui ad determinatum peccatum, continentia sensuum maxime in conventibus publicis &c.

Vide *Absolutio. Confessarius* cas. 3. & 10. *Confessio. Jubilæum.*

POLLUTIO.

1. *Definitur pollutio, quod sit voluntaria seminis resolutio facta extra copulam carnalem.* Peccatum hoc semper est mortale, quando est voluntarium in se vel in causa culpabili, ex quocumque demum motivo causetur. Si vero alterutro dictorum modorum non fuerit voluntarium, nullum coram Deo contrahitur peccatum.

2. *Ex imperfectione actus voluntatis, vel ex levitate causæ pollutio quandoque, licet raro admodum, est tantum venialiter peccaminosa.*

CASUS I. Peccantne, qui fluxum seminis, aut humoris feminis similitudinem referentis inviti patiuntur?

3. Questionem hæc solvit D. Thomas 3. part. Summ. q. 30. art. 7. ubi ait: *Causa corporalis pollutionis quandoque est sine peccato, puta cum est ex infirmitate naturæ: sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis secundum Philosophum. . . Quandoque vero est cum peccato; puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus; & hoc etiam potest esse veniale vel mortale.* Et alibi: *Sciendum, quod illius humoris effusio non est pollutio.* Porro quod de feminis effusione dictum est, de illis duntaxat intelligi debet, qui nullam huic præbuerunt voluntariam causam per sensuales sceminarum aspectus, allocationes, amorem inordinatum, morosas turpium rerum cogitationes, tactus, aliave similia: hi enim, nisi omnia ista diligenter ac studiose fugere satagant, a peccato excusari nequeunt, ut prolixius docet idem S. Doctor, vel quisquis est author opusculi 64. quod S. Thomæ attribuitur. Pontas.

NOTA. Resolutio humoris sine commotione spirituum genitalium non est quidem semen, sed vehiculum seminis; si tamen studiose causetur, id fieri nequit sine periculo pollutionis, ac proinde sine peccato.